


Latein-Buchtipps

1. April 2008, 8:00 Uhr

Maxentius. Imperator Romae ultimus

Hartmut Leppin/ Hauke Ziemssen: "Maxentius Der letzte Kaiser in Rom", Philipp von Zabern Verlag, Mainz 2007

Recensuit: Volker Lütjens

Maxentius anno trecentesimo duodecimo sub signo crucis victus est – deinde oblivione obrutus est. Sed hoc libro discimus, quanti momenti rebus Romanis ineunte quarto saeculo fuerit. Maxentius, filius Maximiani tetrarchae, per sex annos illegitime Romanis imperabat. Fuit, ut est in titulo huius libri, ultimus imperator Romae residens, cum Roma tetrarchis imperantibus princeps urbium esse desiisset.

In multis nummis se ipse conservatorem urbis suae praedicabat. Deos patrios coluit, Christianis autem nequaquam inimicus fuit. Ut maiestatem suam demonstraret, Romam magnis et magnificis aedificiis exornavit, quae adhuc animos visitorum maxime commovent, ut basilica Maxentii, aedes Veneris et Romae restaurata, circus Maxentii prope Viam Appiam situs.

Auctores huius libri pulcherrimis imaginibus exornati in describenda natura et vita Maxentii nummis, monumentis, scriptis auctorum antiquorum nituntur, quae saepe adhuc inaudito modo interpretantur.

Hartmut Leppin / Hauke Ziemssen: "Maxentius. Der letzte Kaiser in Rom." Philipp von Zabern Verlag, Mainz 2007, 24.90 Euro

[Maxentius, der letzte Kaiser in Rom](#) ➔

Quelle: <http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/buchtipps/latein/maxentius102.html>